



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LVIII. Atalantæ Virginis cursorium cum procis certamen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM LVIII.

Atalantæ Virginis Cursorium cum procis Certamen.

10. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Puellarum levitas, & illecebræ. 2. Voluptas retardat in virtutis cursu. 3. Reverentia conjugii. 4. Principiis obstandum. 5. Remoræ benè currentium. 6. Voluptatis stadium. 7. Lenones & lenæ. 8. Curriculum gloriæ.

Non est hæc eadem *Atalanta*, cuius in venatione apri Calydonii mentionem fecimus. Nam illa fuit *Iasi*, Arcadum Regis filia, nupta Meleagro. Hæc *Schæneum* Bœotum natione, qui *Scyro Insula* imperabat, parentem habuit. Fuit puellarum sui ævi longè formosissima, & tanta pedum celeritate, ut canat Ovidius:

Emicat, & summam celeri pede libat arenam:

Posse putès illam sicco freta radere passu:

Et segetis canæ stantes percurrere aristas.

Consulverat ea Apollinis Oraculum de conjugio suo, responsùmque tulit:

----- conjugè

Nil opus est Atalanta tibi: fuge conjugis usum.

Territa Virgo, omnino à matrimonio abstinendum sibi existimavit. Cùm autem à pluribus procis peteretur, conditionem ipsa proposuit, eius se futuram, à quo pedum cursu superata foret: victus autem necaretur. Multis hoc pacto è medio sublatis, non tamen absterritus est *Hippomenes*, *Megarèi* filius; pronepos Neptuni, admodum adolescens, quin puellæ formâ accensus, in eiusdem temeritatis certamen descenderet. Implorato igitur Veneris auxilio, ab eadem diva accepit donò *tria mala aurea*, quorum hic erat usus: ut in ipso cursûs fervore, projecto unò, virginem in eò tollendo occupatam, nonnihil retardaret. Deinde, cùm se iterum præteritum animadverteret, alterum projiceret. Tertium ad extrema reservatum, tum demum abjiceret, cùm non admodum longè à calce & meta extrema abessent cursores. Quòd cùm ille fecisset, & puellam auri cupiditate

Cupiditate impeditam, curriculo vicisset, uxorem nactus est, gratulantibus omnibus, Atalantem. Quia verò officia conjugalia, contra Deorum & pudoris reverentiam expleverunt, in leones conversi, pœnas effrenatæ libidinis dederunt.

Ethica.

I. (a) Velocitas Atalantæ inconstantiam affectuum & cogitationum in puellis nubilibus representat; quæ quò plures inveniunt procantes, eò minùs uni alicui se addicunt, sed discurrentes in diversas partes animo, insigni levitate, nunc hunc, nunc illum, mox nullum inter omnes, sibi deligunt, rapique ac cursu vinci, id est, multis laboribus ac periculis expugnari cupiunt. Hinc imperiosa in amatores imperia; hinc rivalium inter se digladiationes funestæ. Proverbiorum 7. describitur harum juvenularum procacitas, dum dicuntur *preparate ad capiendas animas: garrule & vage: quietis impatientes, nec valentes in domo consistere pedibus suis.* Mille scilicet excogitant artes & fucos, quibus incautos illiciant ac seducant; aguntur æstu cupiditatis, & agunt juvenes, donec post alios atque alios deceptos & repulsam passos, denique læna incidat in leonem, & mutuis se dilacerent unguibus: quod Atalantæ contigit, cujus, uti & Hippomenis, Poëtâ canente

Colla jubæ velant: digiti curvantur in ungues,
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant silvas.

En descriptionem infausti & rixosi conjugii, in quo post melleas primæ Veneris guttulas, succedit cadus fellis: vultus illi nuper gratiarum, toruitatem induunt Leoninam: blanda mutantur jurgiis: captiofi crines horridè depectuntur; fitque thalamus cubile *leonum & draconum*, Jerem 4. & 5. Tanti pœnitere quis emat? De Atalanta Ovidius
----- ne dicere possis

Laude pedum, formævé bono præstantior esset.

Perniciosum illicium, boni vultus saltatrix, qualis Herodias illa fuit, quæ geniale parentis epulum sanctissimi Prophetæ capite cruentavit.

II. (b) Atalanta, quamvis celerrima pedibus, tamen victa est *malis aureis*, ab Hippomene projectis. Tanta vis est munerum ad virtutem

(a) Puellarum levitas & illecebra, (b) Retardatio in via virtutis, & voluptatis servitio.

tutem quamlibet, à curriculo suo retardandam. De expugnata per aurum castitate, alibi nobis sermo est. Cæterum hæc Atalanta plerisque interpretibus, nihil aliud est, quàm mala voluptas, quæ mille procos atque sectatores habet; qui vel cum capitis, & fortunarum jactura illam assequi festinant: de qua apud Poëtam mirabundus pronuntiat Hippomenes

An petitur cuiquam per tanta pericula conjux?

Quot juvenum myriades à foeda hac Atalanta eversa interierunt? contractis morbis, paupertate, ignominia, ipsius denique vitæ discrimen adierunt. Quot patrimonia, censuum facultates, in hujus Thaidis, *voluptatis*, inquam, fugientis, pessimè dissipavèrunt?

III. (c) Præterea docetur hæc fabulâ, quanta habenda reverentia thalami. Atalanta cum amatore suo, in leonem transformata est, tum propter locum sacrum sacrilego concubitu profanatum; tum quia brutâ magis libidine, quàm pudicitia & honestatis lege, matrimonium inierunt. Ex historia Tobia habemus, septem Sarae maritos à cacodæmone necatos, ob effusam in usu conjugij licentiam. *Nolite fieri sicut equus & mulus*, monet regius Psaltes psal. 31. & vox magni Apostoli est, Heb. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

IV. (d) Notanda sunt verba Poëtæ

----- pelle moram, vinctes.

Atque:

----- mors, pretium tardis.

Nimirum primis pravæ illecebrarum resistendum impulsibus; nam invalescunt morâ. Sapientis est, aiebat Philosophus malorum iniitiis occurrere. Arist. lib. 4. Pol. c. 4. Et Ovidius:

Principiis obsta: sero medicina paratur,

Cùm mala per longas invaluere moras:

Ex doctrina S. Gregorii M. lib. 4. Moral. c. 2. Initium malorum est suggestio; hinc cogitatio, affectio, delectatio, consensus, operatio, consuetudo, desperatio, defensio, gloriatio, damnatio. *Va victis.*

V. (e) Ecclesiastes quidam religiosus & eruditus Atalantæ cursum, & remoram in hunc modum explicat: Proposito, inquit, servit cursu celebris & pernicitate pedum nobilis puella, Atalanta. Contenderat illa currendo cum variis procis, ut qui illam velocitate præverte-
ret, uxorem duceret, aderat spectator & mirator Hippomenes, qui for-
mâ

(c) Reverentia connubij. (d) Principiis obstandum. (e) Remora bene currentium.

mâ virginis captus, etiam cum præfenti mortis periculo in arenam descendit, hoc instructus astu, ut tria mala aurea, quæ penes se habebat, per intervalla in stadium projiceret, quibus illam remoraretur, & cursu anteverteret. Si falsa veris, & facta fictis componere velimus, ejusmodi certamen cum Atalanta, id est, *Anima*, stygius Hippomenes in hoc vitæ stadio decurrente, instituit, quam tribus malis aureis remoratur: nunc pomo aureo *divitiarum*, nunc blando voluptatis, nunc fulgido *honoris*: & benè hætenus currentem, ab optata meta & palmare tardat. Id olim, tuba Evangelii Paulus, Galatis insonuisse videtur: *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Gal. 5. Avarum auri fulgor, lascivum mulierculæ forma, ambitiosum inanis gloria, temulentum vini amphora remoratur: Unde quidam pro insigni cauponæ, ingentem amphoram appendit, cum epigraphæ: *illa est remora*, quæ scilicet pedites, equites, integros currus in serum vesperum remorari cogit: Allusum ad pisciculum, cui nomen *Remora*, quæ ingentes naves, & inter illas prætorianam M. Antonii plenis velis & remis volantem stitit. Plinius lib. 32. c. 1. Cui addo: Maximam Antonio illi, viro cæteroquin militari, & victoriis insigni, famæ, nominisque Romani remoram & ignominiam fuisse *Cleopatram*, ultimam Ægypti reginam, quæ Cæsarem quoque Julium, quantum Imperatorem! ita amoribus suis irretivit, ut etiam filium ex ea, *Cæsarionem* nomine Alexandriae suscepit. *Aulus Hirrius de bello Alexandrino*. Ut adeò dubium sit, plurèsnè sint Hippomenes, qui suis illecebris capiunt Atalantas; an Atalanta, quæ blanditiis insidiosis implicant Hippomenes. Expertus Salomon loquitur in præcæmiis suis cap. 7. *Multos vulneratos dejecit (nempe lasciva mulier) & fortissimi quique interfecti sunt ab ea*. Priùs vulneravit eos amor; postea de fortunis, famâ, vitâ dejecit, & perdidit. Gen. 6. *Filia hominum*, id est, filia Cains, sua specie illexerunt, & corrupserunt filios Dei, puta filios Sethi; indeque orti sunt impii gigantes, ob quos Deus totum orbem perdidit diluvio. Notæ sunt Helenæ, Dalila, Betsabææ &c. Atalanta miseros procos in prædam quid dedit? Dolosa species. Ovidius canit de Hippomene:

----- tamen ille decoris

Mirator magis est: cursus facit ipse decorem,
Tergaque jactantur crines per eburnea: quæque
Poplitibus suberant picto genualia limbo.

Sic Atlanta amafios suos ad cursum invitavit, cujus meta pœnitudo, finis interitus fuit.

V I,

VI. (f) Sic Hippodamia Oenomai Regis Elidis & Pisarum filia, cum ob præstantiam formæ à multis prociis expeteretur, curuli certamine provocatos, victosque mortem subire coëgit. Referunt enim Poëta, *Oenomaum* concessisse procantibus, ut *Hippodamiam*, dum stadium percurrerent aurigando, in curribus, atque adeò in sinu haberent; quos ipse à tergo, velocissimis equis, & è ventorum flatu creatis, cum hasta sequebatur in essedo, celeritateque præversos, ab averfa corporis parte transfigebat. Quo in certamine etiam Pelops (de quo suo loco) periturus fuerat, nisi *Myrtilum*, Oenomai aurigam, pollicitis corrupisset, ut ille clavos modiolis rotarum non immiserit, adeoque curru fracto & dissoluto, Oenomaus exciderit, moriensque Myrtili caput devoverit, obtestans Pelopem, ut vicem suam ulcisceretur, quod & factum est. Cum enim Myrtilus sibi perfidiæ præmium à Pelope posceret, ab eo in mare dejectus est, quod ab eo *Myrtoum* postea appellatum. *Euripides in Oreste*. Nihil aliud, inquit Mythologus lib. 7. c. 8. est vita humana, quàm certantem & contentio, in quâ multa pericula & calamitates subeundæ; fortiterque cum voluptatibus pugnandum; à quibus si vincimur, in perniciem prorsus ducimur; ac si victores extiterimus, viri fortes ac constantes habebimur, virtutemque ac famam, tanquam Hippodamiam consequemur, & velut sponsam ducemus domum. Hæc ille. Sed pauci, pro dolor! felicem in hoc hippodromo fortiuntur exitum. Plurimos, antequam ad metam speratæ voluptatis ac libidinis perveniant, Oenomaus cum hasta, Mors cum spiculo insequitur, prævertit imparatos & improvidos futurorum, inque medio cursuræ spatio, configit, atque è vita in orcum exturbat. Et verò Hippodamia in sinu procorum aurigantium, subitoque teli adactu pereuntium, ostendit impuræ libidinis cupiditatem, esse *viperam in sinu*, & præsens exitium in tergo: dum cæco impetu fertur, nec considerat, quid sequatur.

VII. (g) Si Myrtilum spectemus, imaginem refert lenonum & lenarum, & quorumvis improbitatis conciliatorum, ac conciliatricum, quorum perfidia ac lenocinandi, corrumpendique nequitia, plerumque in eos ipsos recidit, & in stygias undas detrudit.

VIII. (h) Atalantæ & Hippomenis cursum ad finem sublimiorem referas, argumento sumpto ex verbis Apostoli 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. Est enim stadium vita præsens; in hoc stadio & certamine antagonista, *Mundus, Caro, Damon*; Agonetheta *Deus, Meta, Aternitas*; bravium cœlestis *corona*; pœna victi, *reprobatio & confusio*.

Xx

(f) Voluptatis stadium. (g) Lenones & lena. (h) Curriculum gloria.

fusio. In hoc stadio strenuum se Cursorem exhibuit Paulus, qui de se ipso. 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* Tam felicitis curriculi causa quæ? Exponit ipse ad Philippen. 3. *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* Nimirum sicut stadiodromi, dum currunt, non respectant, quantum spatii transmiserint, sed quantum superfit ad metam, eoque toto conatu & impetu in cursu feruntur; ita Paulus ad metam propositam decurrebat, præteritorum obliviscens, & ad anteriora mentem, omnesque cogitationes intendens, non contentus prioribus operibus in virtute gestis, sed ad majora & excellentiora enitens. D. Gregorius hom. 3. in Ezechielem. Ante nos, inquit, æterna sunt, post nos temporalia. Quia & illa pergentes invenimus: & ista, recedentes, quasi post dorsum relinquimus. . .unc iter facimus, & ad æterna properamus: post mortem vel æternam beatitudinem, vel sempiternos cruciatus reperiemus. Æterna nos expectant; temporalia nos deserunt: illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia illa relinquimus. Qui retro igitur respicit, ad temporalia oculos flectit; qui ea, quæ à fronte sunt, intuetur, is æterna contemplatur. Et hoc, juxta Tullium, est *Cursum vita tenere*, Nimirum salubriter destinata persequi, & ab incepto virtutis tramite non deflectere. Exiguum namque, ut idem ait, vitæ curriculum nobis natura circumscripsit, immensum gloriæ.

SYMBOLUM LIX,

Laomedon perjurus,

11. *Metamorph. Homerus in Iliad.*

Ethicè.

1. A Deo operum primordia capiendæ. 2. Perjurii pœnæ. 3. Sacrilegium punitum.

L *amedontem*, Ili filium, Trojanorum Regem, novam urbem in Phrygiæ littore molientem, cum opus ingens tardè succederet, adeunt Neptunus & Apollo, humano tecti schemate, suamque illi addicunt operam. Amplectitur is lubens oblata obsequia, & pro labore, certum